
Satis patet ex Opticis elementis, multa Catoptricæ, & Dioptricæ esse communia; forsan igitur, & in reflectionum, & in refractionum mensuris, aliquid commune hærebit: Totum autem reflectionum mysterium, in sectionibus conicis latere compertum est; (ut deinceps patebit) forte igitur & refractionum mensura illic latebit. Secundò non fit regularis reflectio, nisi superficies reflectionis sit sectio conica; fortassis ergo nec regularis refractio, nisi refractionis superficies, sit sectio etiam conica.

Si vero superficies reflectionis sit concavitas parabolæ, & radii incidentes axi paralleli, omnes reflectuntur in focum: Quæritur ergo num possit dari superficies refractionis, ita ut omnes radii in eam incidentes, speciali cuidam lineæ paralleli, refringantur in unum aliquod punctum determinatum? ex prædictis probabile est (si talis detur) hanc superficiem esse conicam sectionem: ut autem talem superficiem analogicè inquiramus, ab extremis incipiatur; & concipiamus medium in quod incidunt radii esse densissimum; radii igitur refracti, ad superficiem medii perpendiculares erunt. (*Keplerus Ast. Opt. fo.* 113)



Quæritur igitur sectio Conica, cujus omnes perpendiculares ad sui lineam, in unum punctum concurrant? talis autem est circulus. Secundo concipiatur illud medium densissimum, per quod transeunt